



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



54
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXI.

continens

ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

DE QVÆSTIONE:

An Romana seu Pontificia Eccle-
sia sit vera Christi Ecclesia:

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

CASPARE Stein Luccâ-Lusato.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem Sept.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM TERTIUM
in Augustanarum Confessionem

DISPUTATIO XXX

de

ARTIBUS ARITHMETICIS VII

De Ecclesia

An Romanarum Pontificiarum Ecclē-

siam in Romano Academia Vindoburgensi

JACOBO MARTINI S. S. Th.

CASPARE GEMMELER

In Auditorio Collegii Martini

Ad diem 20th

Typis et Typographia SALOMONIS ABRACH, Acad. Typogr.
Anno M DC LXX





D. O. M. A.

Continuatio.

ATque sic circa quartam quoque quæstionem sive conclusionem, à Becano positam, evicimus ac demonstravimus, sententiam nostram, quâ statuimus *Ecclesiam visibilem errare & deficere posse*, verissimam, & per omnia sacris literis & praxi Ecclesiæ, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, consentaneam esse; nihilque contra manifestam veritatem, quod saltem speciem veri præseferret, obtinere potuisse Jesuitam: sequitur nunc in ordine, ab adversario observato, conclusio quinta; quam hâc disputatione examinabimus.

T H E S I S I.

Conclusionem ergo suam quintam Becanus hoc modo, & his verbis proponit, & nobis opponit: *Ecclesia Romana seu Pontificia est vera Christi Ecclesia, de qua hætenus dictum est.*

II. Hanc conclusionem ut eo melius, suo verò modo, hoc est, sophistico & veteratorio, tractare, probare ac defendere possit, subjectum ejus, quod est, *Ecclesia Romana seu Pontificia*, ab æquivocatione liberare satagit. Sic ergò rem orditur: §. 59. *Nota, Ecclesiam Romanam dupliciter sumi posse. 1. Pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim Roma fuit, & nunc est. 2. Pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adharebant olim*

A 2

Roma-

Romano Pontifici, & nunc etiam adherent. Et hoc posteriori sensu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica seu universalis, quia toto orbe diffusa. 2. Pontificia, quia Pontifici subiecta. 3. Romana, à nobiliori sui parte.

III. Respondemus, primùm ponamus, Ecclesiam Romanam ita duplici modo posse considerari: interim tenendum est, non quæstionem volvi de eo, quid fieri, ac pro libitu fingi possit à Jesuitis, sed de veritate. Putamus partes hujus diversæ considerationis, si ad veritatis lancem adpendantur, probari non posse. Nam primo modo considerata Ecclesia Romana particularis est. Unde sic argumentor: *Particularis Ecclesia non est Catholica: Romana Ecclesia, in prima consideratione sumta, est particularis: Ergò Romana Ecclesia in prima consideratione sumta, non est Catholica.* Totum hoc argumentum nititur, & probatur verbis Becani hoc loco asserentis, *Romanam Ecclesiam tantùm Catholicam dici, & esse juxta considerationem secundam sive posteriorem.*

IV. Pergo: *Quæ Ecclesia non est Catholica, illa non est vera & orthodoxa: Romana Ecclesia in prima consideratione sumta, nõ est Catholica: Ergò Romana Ecclesia, in prima consideratione sumta, non est vera & orthodoxa.* Quod volumus, & est ipsa rei veritas. Minor est probata. Major constat, & certa est per illa, quæ supra de denominatione, quâ Ecclesia Catholica dicitur, sunt declarata & confirmata, quod ita, & quidem potissimum denominatur, quia nulli loco alligata, doctrinam Catholicam Prophetarum & Apostolorum tenet & profitetur. Quæ igitur hanc non profitetur, illa Catholica non est. Et quæ Catholica non est, hanc non profitetur.

V. Inquis: Becanum longè aliam hujus denominationis adferre rationem, nempe *Romanam Ecclesiam, in secunda consideratione sumtam, dici Catholicam, quia toto orbe diffusa sit.* Verùm rationem hanc nullam esse, multis supra probavimus. Nam stante illâ, multa sequuntur absurda. 1. Nullam omninò Ecclesiam esse Catholicam: cum omnes sint particulares: ἄτοπov. 2. Primitivam Ecclesiam, quia initio Judææ, Galilææ, Samariæ & Antiochiæ, finibus concludebatur, nullo

nullo modo fuisse Catholicam, & sic neque Christi Ecclesiam: impiè. 3. Ipsam Romanam Ecclesiam, in secunda consideratione acceptam, non esse Catholicam. Nam evidentissimis rationibus & inductionibus supra probavimus, Romanam & Pontificiam Ecclesiam nunquam, neque in hunc usque diem, toto orbe diffusam fuisse vel esse.

VI. Si autem arbitrantur Pontificii, se defendere posse, quod Romana Ecclesia, in secunda consideratione accepta, vera dicatur, & sit Catholica Ecclesia: & Ecclesia Catholica tantum sit vera Ecclesia: utique dicere, & alterutrum concedere coguntur: Aut Ecclesiam Romanam esse duplicem, unam particularem non Catholicam, & falsam, nempe illam, quæ Romæ colligitur, & cui Romæ Papa præsidet, & Caput est: alteram universalem Catholicam, & veram, nempe quæ toto orbe diffusa est, cuique per totum orbem præsidet, & caput est: Mirabile caput, à quo verum & falsum, bonum & malum, vita & mors in diversa corpora fluit. Aut Ecclesiam Romanam quidem unam esse, sed alio respectu particularem, & non Catholicam, & sic falsam, nempe quatenus Romæ colligitur, & Papa ejus caput Romæ est: alio verò respectu universalem & Catholicam, & sic veram & orthodoxam, nempe quatenus toto orbe diffusa, particulari Ecclesie Romanæ adhæret, & Papa ejus universale caput est. Et sic una eademque Ecclesia est vera & falsa: est orthodoxa & cæcodoxa, quam Papa falsitatem simul ac veritatem docet. Ergo qualis Rex, talis grex; quale caput, tale corpus.

VII. Quod porrò Romana hodiè Ecclesia sit & dicatur Pontificia: idque propterea, *quod Pontifici Romano subiecta sit*, facile concedimus: Verum ipsi vel potius Pontifici Romano esse subiectam universalem Ecclesiam, quæ toto orbe diffusa est, id nullo jure, neque divino, neque humano, potest probari, neque facto ipso demonstrari.

VIII. Non jure divino. Nullum enim hætenus adferre potuerunt Scripturæ dictum, quo Monarchia Papæ, & universale Dominium in Ecclesia tribueretur vel confirmaretur.

retur. Nullo humano: Nam vetera Concilia sanciverunt, ut Papa Romanus haberet æquè suos determinatos limites, atque reliqui Episcopi. *Concilium Nicenum* (quod habitum Anno Christi 321.) interprete Ruffino, committit Romano Episcopo suburbicarum Ecclesiarum curam. *lib. 1. cap. 6.* Eadem Synodus, interpretibus Patribus Africanis, committit singulis Metropolitanis suos Presbyteros & Episcopos: At verò qui tantum suburbicarum Ecclesiarum, aut tantum Presbyterorum & Episcoporum curam habet, ille non est Monarcha totius Ecclesiæ. *Canone 16.* docet, neminem debere quenquam ad alterum pertinentem ordinare, nisi habeat consensum ejus Episcopi, sub quo est.

IX. Synodus Constantinopolitana, Anno Domini 385. coacta, renovat fidem Nicenam, & dispartitis Provinciis Patriarchas constituit. *Socrates lib. 5. c. 8. Concil. Constantinop. c. 2.* Synodus Ephesina, anno 431. coacta, dicit: *Unicuique provincia pura atque integra jura servanda esse, ut unusquisque Metropolitanus secundum justum morem rerum faciendarum facultatem obtineat, propriumque suum jus possideat.* *Can. 8.* Eodem quoque Canone statutum est, *ut nullus Deo dilectorum Episcoporum alterius invadat provinciam.* *Concilium Nicenum Canon. 5.* docet, *eum, qui ab uno excommunicatus est, ab altero non posse recipi.* Atque hoc Canone quoque Episcopum Romanum comprehendendi constat ex *Cyprian. l. 1. Epist. 4.* & ex *Epiphano in Marcione.*

X. Synodus Antiochena Canon. 9. per singulas provincias Episcopos noscere debere, Metropolitanam totius provincie curam gerere. Eodem dicit: *Metropolitanum non debere quicquam facere sine Concilio ceterorum, neque ceteros sine Consilio Metropolitanis.* Carthaginensis Synodus habita anno Christi 417. *Primæ sedis Episcopus non appellatur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.* Idem facit *Concilium Hipponense cap. 27.* & iteratur in alio *Concilio Carthaginensi, habito anno 421. cap. 6.* Et in *Gratiano. dist. 99. c. Primæ sedis, & à Concilio Africano. Concilium*

cilium Millevitanum. cap. 22. dicit: *Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum conquesti fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quicquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putarint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates provinciarum suarum, ad transmarina autem qui putaverint appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiatur.* Idem est repetitum in Concilio Africano cap. 92. & 2. quæst. 6. c. placuit. Papæ legatus hoc ipsum subscriptione comprobavit. Hûc quoque referantur, quæ Concilium Africanum ad Papam Celestinum scripsit.

XI. Quia igitur antiqua Concilia mandant, ut singuli Metropolitanæ tantum suas curent provincias, & ab aliorum provinciis se abstineant: Deinde, quia verant, ut nemo vocetur Princeps Sacerdotum: præterea, quia præcipiunt, ut singuli suas causas agant apud suarum provinciarum Episcopos, & prohibeant, ne provocent ad transmarinos, id est, Romanos: Deniq; quia mandant, ut Papa non reddat eis communionem, qui ab aliis communicati sunt, nec legatos à latere, nec executores ad alienas provincias mittat, nec eos admitat, qui ab aliis ejecti sunt; manifestum est, antiqua Concilia judicasse, Papam non esse Monarcham totius Ecclesiæ.

XII. Neque factò ipso probatur Papa Monarcha totius Ecclesiæ. Græcia enim nunquam agnovit primatum Ecclesiæ Romanæ; imò Pontificem Romanum excommunicat, id quod aliæ quoque Ecclesiæ Orientales plures, fatente ipso Costero, fecerunt. Taceo, quod hodie in plurimis Regnis ne vestigium quidem Romanæ Ecclesiæ supersit.

XIII. Pontificiam porrò Ecclesiam dici Romanam à nobiliore sui parte, facile concedimus. Quandoquidem Roma est sedes ipsius Antichristi, & vitiorum turpitudinis, quæ Clericos, Monachos & Moniales vexat, nec non tyrannidis ac horrendæ servitutis, quæ hætenus per multa secula Ecclesiam miserè pressit, fons & fundus: quis ergo de veritate & congruen-

gruentia hujus denominationis dubitaret? Quæ verò ad illam veterem Romanam Ecclesiam, fidemque Romanam, Rom. 1.v.3. qualis Pauli tempore erat, extendi nolumus: quippe quam cum omnibus piis & orthodoxis honorificentissime veneramus.

XIV. Progreditur nunc Becanus ad instituti sui probationem, §. 60. *Igitur, inquit, in hac conclusione loquimur de Romana Ecclesia, posteriori modo sumta, & asserimus, eam esse veram Christi Ecclesiam, cujus proprietates hæcenus explicatae sunt. Quod sic ostendo, visibilis Christi Ecclesia non potest deficere aut errare in fide, ut probatum est: Ergo à tempore Apostolorum, ad nos usq; semper mansit visibilis Christi Ecclesia, sine ulla interruptione aut errore: At nulla alia visibilis, præter Romanam seu Pontificiam, mansit sine ulla interruptione & errore: Ergo sola Romana seu Pontificia est visibilis Christi Ecclesia. Minorem probo inductione; quia Judaica abrogata & repudiata est per mortem Christi. Turcica seu Mahumetica non semper fuit. Calviniana & Lutherana, quam reformatam vocant, nova est. Cæpit enim cum ipsa reformatione, (à qua nomen habet,) quæ à Lutero & Calvino, ut ipsorum assidue dicunt, facta est. Sola Pontificia hæc usq; perseveravit.*

XV. Primum ergò Becani argumentum in formam syllogisticam resolutum est ejusmodi: *Quæ Ecclesia non potest deficere vel errare in fide; illa à tempore Apostolorum ad nos usq;, sine ulla interruptione aut errore semper mansit: Atqui visibilis Ecclesia non potest deficere, vel errare in fide: Ergo visibilis Ecclesia à tempore Apostolorum ad nos usq;, sine ulla interruptione aut errore semper mansit.* Majorem concedimus: quippe libenter admittentes, veram Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, à temporibus Apostolorum ad nos usque sine ulla interruptione durasse: & nullâ vi tyrannicâ extirpari potuisse. Minorem verò negamus: Quandoquidem quòd Ecclesia visibilis deficere & errare non possit, probasse hæcenus Becanum pernegamus. Contrarium nos fecimus, nempe illam & deficere & errare posse in fide, rationibus & exemplis evidentissime demonstravimus.

XVI. Nixus nihilominus hac hypothefi Becanus, sic argumentando vult progredi: *Omnis visibilis Ecclesia Christi à tempore Apostolorum ad nos usque sine ulla interruptione aut errore permansit: Atqui nulla visibilis Ecclesia prater Pontificiam à tempore Apostolorum ad nos usque sine ulla interruptione aut errore permansit: Ergo nulla visibilis Ecclesia prater Pontificiam Romanam est visibilis Ecclesia Christi: Negatur Major.* Galatarum enim Ecclesia fuit Christi Ecclesia visibilis. *Gal. 3. v. 1.* Sic Pergamen- sium Ecclesia fuit vera Christi Ecclesia. *Apoc. 2. 15.* Sic innume- ræ alæ. Sed ubi sunt illæ? Defecerunt omnes; nec amplius sunt. Minor petit principium. Quandoquidem subsumit id, quod inter nos controvertitur ac quæritur, nempe *an Ecclesia Romana sit sine errore.* Nos nō tantum hæctenus negavimus; sed insuper nostram negativam firmissimis & infallibilibus ar- gumentis confirmavimus.

XVII. Dicit Becanus se probare posse Minorem: uti quoque probationem instituit, exemplorum inductione. Sed quid probat? *Ecclesiam Romanam ad hæc nostra usque tempora durasse* ostendit. Verum de hoc quis unquam dubitavit? Nul- lus Lutheranorum, imò nullus hominum. Alterum illud pro- bandum erat, *Ecclesiam Romanam toto illo tempore non errasse, vel à fide non defecisse.* Sed hic aqua hæret Jesuitæ; nihil pro- bat. Deinde peccat insufficienti partium enumeratione. Nam non tantum Romana Ecclesia visibilis permansit; sed Græca quoque; permansit Armenia; permansit Æthiopica illa longè maxima in regno Abyssinorum: Ergò nequaquam sola Ponti- ficia sine interruptione permansit. Tertio vitiosè Turcicam Idolomaniam numerat inter Ecclesias, nempe quæ nihil mi- nus, quàm Ecclesia est: cæcus malignantium est, ex *Psal. 26. v. 5.* Ecclesia nequaquam: sed extra illam.

XVIII. Tandem Lutheranam Ecclesiam primùm cæ- pisse cum reformatione, à Domino Luthero instituta, falsissi- mum est. Non enim religionis, quàm in Saxonia primùm docuit, quæque ibi Ecclesias reformavit, fuit autor vel inven- tor, sed restaurator: proindeque non Lutherana dicitur Ec-
B
clesia,

eclesia, quod à Luthero primum fuerit inventa: sed quod ipse primus, abjectis tenebris errorum Pontificiorum, eam ex veris Sacrae Scripturae fontibus rursus hausit, publicè docuit, & magno zelo contra omnes furores Satánicos defendit & propugnavit. Sic ergò argumentor: *Cujus Ecclesiae doctrina est antiquissima, illa quoque ipsa est antiquissima: Atqui Lutherana Ecclesiae doctrina, quam publicè profitentur, est antiquissima. Ergò Lutherana Ecclesia est antiquissima.* Major est certa. Nam doctrina & religio facit Ecclesiam. Quare licet interdum Populi nonnulli orthodoxam Christianam recenter acceperint; non tamen Ecclesiae origo est censenda illa doctrinae receptio; sed potius statuendum, quod populus ille amplectendo & approbando antiquam & sic veram Christianam doctrinam ac fidem, sese cum antiquissima Ecclesia conjunxerit, & ejus pars facta fuerit. Minor probatur. Doctrina enim, quam Lutherus & Lutherana Ecclesia profitetur, est illa ipsa, quae in Paradiso praedicata, Gen. 3. v. 15. in foedere inito cum patre credentium, Abrahamo, repetita. Gen. 12. v. 3. & ab ipso Christo, & Apostolis, in universum orbem emissis, ubique locorum propagata est: Ergò certissima est conclusio nostra.

XIX. Sed pergit Becanus §. 61. *Quid hic respondebunt adversarii? An putant aliam praeter Pontificiam, visibiliter & sine errore semper extitisse? Si putant, dicant, obsecro, quae illa sit? quo nomine appelletur? quas mundi partes occupaverit, & adhuc occupet? quos Pastores & Episcopos habuerit, & adhuc habeat. Qui Reges & Imperatores illi adhaerent, & adhuc adhaereant? Qui haeretici ab illa damnati? quae Academia confirmata? quae templa & monasteria erecta? Hic non evadent, sat scio.*

XX. Affectata est haec Becani, quam jaecat, scientia; non vera, non solida. Dudum evasimus: dudum respondimus, & adhuc pluribus respondere parati sumus. Sophisticam repetit primam quaestionem: Annon illi satisfecerunt nostri praecipue: annon nosmetipsi in hisce nostris disputationibus sufficienter respondimus? Numeravimusne plures, praeter Pontificiam, Ecclesias visibiles? Quid ad illas infert Becanus?

canus? Nihil habet: nihil potest: proinde simulat se de illis in nostris scriptis nihil vidisse, nihil legisse: placetq; suum vitiosum ac jejunum coccysum ingeminare.

XXI. Quid? quod si res ita omnino se haberet, ut fingit Jesuita, non tenemur tamen aliam, præter Pontificiam Ecclesiam, ostendere visibilem Ecclesiam, quæ sine errore semper extiterit. Diximus enim & probavimus fieri posse, ut omnes particulares & visibiles Ecclesiæ, quoad externas veræ Ecclesiæ notas sint obscuratæ, ac proinde publicum ministerium in plurimis fidei articulis deficiat. Stante autem hoc, ut est immortum & immutabile; frustra ex nobis extorquere fatagit Jesuita loca, tempus, pastores, facta.

XXII. Ponamus quoque nos nihil illorum adducere posse, qui interim contrarium præstitimus: sed ponamus, inquam, rem ita, ut narrat Jesuita, se habere: nosque nihil ex historiis Ecclesiasticis contra ipsos adferre posse: id tamen non nobis, sed Pontificiorum vel malitiæ vel negligentia adscribendum esset: quod superioribus seculis, quando soli omnem in Ecclesia potestatem habuerunt, & tyrannidem suam exercuerunt, vel non studiosius historiam Ecclesiæ conscripserunt, & fidelius annotarunt: vel potius quod plurimi metu tyrannidis pontificiæ & periculorum prohibiti, veritatem scribere minimè fuerunt ausi, vel etiam si quid scripserunt, Episcoporum fraude ac tyrannide periit: sicut in multis adhuc extantibus libris legitur, Pontificios Doctores summo studio id egisse, ut omnia scripta contra suos errores, tyrannidem & impuritatem vitæ conscripta, penitus abolerentur.

XXIII. Deficiat igitur hæc historia Ecclesiastica: non tamen deficit Scriptura. Illa ipsa enim, in qua loquitur Spiritus Sanctus, qui mentiri nescit, Ecclesiæ perpetuitatem promittit: nempe quod firmum stet fundamentum Dei, habens signaculum hoc; novit Dominus, qui sunt sui. 2. *Thes.* 2. v. 19. Quod etiam portæ inferni contra illos non prævalebunt. Omnino ergo mansit aliqua Ecclesia in medijs ac densissimis tenebris

nebris papatus, etiamsi non possimus scire individua, Episcoporum vel Pastorum, vel Regum, vel Subditorum.

XXIV. Verum neque historia planè deficit: Ecclesia enim Waldensium (quos Pontificii per contemptum pauperes de Lugduno vocarunt; quorumque Confessionem Flacius se vidisse scribit, testaturque illam cum protestantium confessione consensisse) longè lateque disseminata & propagata fuit per Lombardiam, Alsatiam, tractum Rhenanum, Belgicam, Saxoniam, Pomeraniam, Borussia, Poloniam, Livoniam, Sveviam, Silesiam, Moraviam, Calebriam, Siciliam &c. Et ipse Thuanus, scriptor & historicus Pontificius palàm attestatur, illos suam fidem & religionem, à majoribus accepisse, & per aliquot annorum centurias docuisse. Et alii Pontificii Scriptores, inter quos etiam Reinerius est, Waldensium Ecclesiam antiquissimam laudant, illamque nonnulli à tempore Sylvestri, alii à tempore Apostolorum deducunt: Patentur ingenuè, nullum esse terræ angulum, in quo non serpat: quod cum aliæ cum immunitate in Deum horrorem inducant, sola habeat speciem pietatis magnam: quod coram hominibus iustè & inculpate vivant, & omnes fidei Apostolorum articulos benè credant: solam verò Ecclesiam Pontificiam oderint & blasphemant. Et refert Thuanus potissima capita, omnia orthodoxa, sancta ac divina: additque ex Cardinali Sadoletto reliqua, quæ Waldensibus affinguntur, per injuriam affingi.

XXV. Hi verò à Pontificiis tyrannicè trucidati sunt: oppida & vici ipsorum direpti, atque cum tota suppellectile & libris incensi: qui ex oppidis aliquandiu sese defenderant, tandem expugnatis oppidis promiscuè mactati, nec ætatis nec sexus habitâ ratione: aut persuasi, ut deditionem facerent, & arma deponerent, educti in prata & vestibus exuti, crudeliter interfecti: fœmellæ magno numero, horreo, pleno straminibus inclusa, combustæ: quidam, qui in cavernas confugerunt, igne & fumo necti; quidam ad triremes missi: alii aliis horrendis & tremendis suppliciis affecti: Mulieres, Virgines, Puellæ tanta immanitate ab impio & effræni milite sunt

sunt stupratae, ut pleraque gravida matrona, & puella, nondum prorsus nobiles, extincte fuerint. Multi f. me mortui sunt, multi marore extincti.

XXVI. Hos ergo testes veritatis, tam crudeliter tractatos, trucidatos, nec non ipsorum scripta ac libros exustos & fraude, tyrannideque sublatos, nobis prius restituant pontificii, & tunc ipsorum testimonia a nobis exigant. Quandoquidem nullum dubium est, Waldenses scriptis suis Ecclesiae Christi non defuisse, sed suppressa illa esse a Pontificiis atque exusta. Imitatur ergo Becanus cum suis Jesuitis Tyrannos politicos, qui, ubi alicujus Reipublicae privilegia exusserunt, imperant civibus, ut illa exhibeant, & sic se defendant. Sed utur scripta Waldensium fuerint exusta, tota tamen ipsorum historia, & tyrannica Pontificiorum in ipsos facta, exuri plane ac deleri non potuerunt.

XXVII. Eodem modo nota est historia Graecae Ecclesiae: cum qua in fundamento fidei ac salutis, (de quo potissimum inter nos & Pontificios controversatur) nostris Ecclesiis maximam conformitatem intercedere, haecenus a nobis sufficienter probatum est, idque publica confirmant monumenta. Nam ut nihil impraesentiarum dicamus, de tota Graecorum Patrum vetustate, quae tota nostra est: extant insuper luculenta illius quoque, quae hodie per Graeciam Orientalem passim est, Ecclesiae testimonia, quibus Ecclesiarum nostrarum Confessionem magnopere approbant & collaudant, ut exactis Tubingensibus luculenter patet.

XXVIII. Et silentio involvere non possum animosum responsum, quod Graeca Ecclesia Johanni XXII. Pontifici rescripsit: *Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam explere non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.*

XXIX. Hanc ergo interrogare potest Becanus, non dubito, recensebit Pastores, Episcopos, Reges & Imperatores: qui sibi adhaerint: quos etiam haereticos damnaverit, quod-

que inter illos adhuc quotannis Archihæreticum, Pontificem Romanum, totamque Ecclesiam Pontificiam, damnet & excommunicet: referet etiam quæ templa erexerit &c. De Monasteriis verò non est, quod multum gloriatur Becanus, quippe, quæ non probant veram Christi Ecclesiam, sed Antichristi Synagogam. Habet quidem & Græca Ecclesia sua Monasteria: sed quæ sunt veræ pietatis officinæ; non profana Idolomania fana, ut apud Pontificios.

XXX. Sed pergit Jesuita, & ad instantiam nostram respondens. §. 62. *Non desunt tamen, inquit, qui oppressi hoc argumento; fingant Ecclesiam quandam in cunis jacentem ac vagientem, quæ nec fari possit, nec fidem profiteri. Ajunt enim, Ecclesiam Christi, aliquot seculis tam fuisse corruptam ac vitiatam, ut nulli in ea fuerint veri fideles, nisi infantes baptizati. Et sine dubio, intelligunt Ecclesiam Romanam seu Pontificiam, quam putant superioribus seculis penitus defecisse, nisi quod soli infantes legitime in ea baptizati, tanquam vera ipsius membra permanserint. Miserum perfugium, & ipsis adversariis perniciosum. Nam ipsi passim docent, duas esse notas Ecclesie, nempe sinceram prædicationem Evangelii & legitimam Sacramentorum administrationem, ex quibus vera Christi Ecclesia dignosci debeat, & sine quibus consistere non possit; ut videre est in Confessione Augustana, art. 7. & in Apolog. ejusdem, & in Calvino libr. 4. Instit. cap. 1. 3. 9. 10. & 11. At hæc due note non conveniunt Ecclesie, in qua soli infantes baptizati sunt; quia soli infantes, nec possint sincerè prædicare Evangelium, nec legitime administrare Sacramenta: Ergò Ecclesia, in qua soli infantes sunt, non est vera Christi Ecclesia.*

XXXI. Misera est responsio hæc Becani duplici ratione. Primum, quia notorium est mendacium. Quandoquidem nunquam diximus solos infantes legitime baptizatos, in Ecclesia Pontificia permansisse membra veræ Ecclesie. Sed cum Doctoribus nostris supra Disput. 17. hujus Collegii thes. 9. & sequentibus quatuor fecimus classes. In quarum prima retulimus omnes illos, qui magno numero & zelo Patris Romani, & ejus Dominationi restiterunt, & publicis scrip-
ptis

ptis & dictis Antichristi istud regnum improbarunt: Inter quos fuerunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alii magni nominis Doctores, Imperatores quoq; Reges & Principes.

XXXII. In secunda fuit innumera illa Martyrum multitudo, qui multis annis ante Lutherum Romanam sedem aperte Regnum Antichristi appellitarunt, & pro asserenda veritate sanguinem profuderunt. Quorum sanè tanta fuit multitudo, ut si per Italiam, Hispaniam, Galliam, Belgiam, & alias regiones interfectos ab Antichristo Romano Martyres in unam colligere velis summam, vix ulla calculi ratio sufficere videatur.

XXXIII. In tertia demum classe constituimus infantum baptizatorum numerum, nempe illorum, qui regenerationis lavacro sanctificati, prius in vivis esse desierunt, quam Idolomania Pontificia illorum intellectum perverterat.

XXXIV. In quarta demum classe collocavimus illos, qui à Daniele Moab nominantur, nempe simplices illos, qui extra Pontificiæ Idolomanie strepitum constituti, à primis annis veræ Christianæ fidei fundamenta à parentibus inculcata, regulam simplicitatis & fidei, vitæque inculpatæ sibi esse passi fuerunt, & tandem simplici fide, in Dei misericordia, Christi q; merito acquiescentes animam exhalaverunt: tritum, & antiquum illud Johannis Keiserspergii subinde ingeminantes: *Immensa Dei patris misericordia: preciosissimum meritum acerbissime passionis Jesu Christi, appareat mihi in ultimo mortis agone.* Quid ergo est Jesuitam in notorio mendacio deprehendere, si hoc non est?

XXXV. Misera quoq; est altera vice responsio Becani, quod nos urgeat notis Ecclesiæ, quas illi tribuimus. Nam primum notas illas nos facimus veræ Ecclesiæ visibilis, non invisibilis. Cum igitur Ecclesia sub Papatu pressa à nobis visibilis negetur, & tantum invisibilis finiatur & dicatur: quomodo illas in hac disputatione urgere poterit Jesuita? Falsum insuper est, quod nobis affingit, quasi statuamus, sine notis illis conspicuis ac manifestis Ecclesiam stare non posse. Id neq;

dixi-

diximus, neq; statuimus. Non enim de Ecclesia sic loquimur ἀπλῶς & simpliciter; sed de Ecclesia vera, quatenus visibilis est. Tunc enim necesse est, ut notis illis in oculos & sensus incurrat: Et quia id sine illis fieri nequit, utiq; dicimus ac defendimus Ecclesiam veram visibilem sine illis notis dari & esse non posse.

XXXVI. Deinde misera & jejuna est consequentia: Infantes non prædicant, neq; administrant Sacramenta. Ergo in illa Ecclesia, in qua sunt infantes, nemo prædicat, nemo administrat Sacramenta. Quando quidem licet Doctores in Papatu fuerint corrupti, tamen adhuc multas partes verbi divini retinebant, quoad verba incorruptas: & plebi prælegebatur: utpotè præcipua capita Catechismi, historiam passionis Dominicæ, summulas & pericopas Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium: Ex his multi, non quidem ex Doctorum Pontificiorum intentione, sed singulari Dei directione & providentia, Christum Redemptorem suum agnoverunt, & simplici fide beneficia Christi apprehenderunt, & sic servati sunt. Adde, quod etiam usus Baptismi in Papatu manserit, verus & legitimus, idq; singulari quoq; Dei providentia & misericordia erga electos suos. Habuerunt ergo vera illa Ecclesiæ membra verum Dei verbum, habuerunt quoq; legitimum Sacramentorum usum: non quidem quatenus Doctores prædicabant, docebant & administrabant: sed quatenus fideles illi Christiani audiebant & accipiebant.

XXXVII. Pergit Becanus §. 63. *Alii habent aliud effugium. Ajunt, semper in Ecclesia fuisse unum aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit: cujusmodi diversis temporibus fuerunt, Johannes Wicleph, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus. Equè ineptè. Nam primò, dicant mihi, quis fuerit ille unus, vel qui duo cordati viri, qui ante Wiclephum per singula superiora secula, Papæ contradixerint? Si nesciunt, quare temerè affirmant? Si sciunt, edicant eorum nomina, locum habitationis, & ceteras circumstantias. Non poterunt. Secundò, Ecclesia Christi non est deterioris conditionis, quam fuerit Synagoga Judæorum, cum Ecclesia sit domina, Synagoga ancilla: (ad Gal. 4. 22.) At Synagoga nunquam fuit tam deserta, ut duo tantum viri*
in ea

in ea reperirentur. Imò tempore Helia, cùm putabatur desertissima, septem millia virorum in ea reperta sunt. (Rom. 9.4. Cur ergò adversarii fingunt, Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam, ut duo tantum viri in ea reperti fuerint? Quod manifestè repugnat Scriptura, quæ apud Isaiam testatur, Ecclesiam Christi multò fecundiorè & ampliore fore, quàm fuerit Synagoga.) Isaiæ 54.1. Tertio, Donatistæ plus tribuebant Ecclesie, quàm hi faciunt. Nam illi, tametsi dicerent, Ecclesiam toto orbe perisse, & in sola Africa remansisse; non tamè ausi sunt asserere, quod hi asserunt, remansisse aliquando in duobus tantum viris, qui Papæ contradixerunt. Si ergò illi, qui melius sentiebant de Ecclesia, quàm hi nostri adversarii sentiunt, nihilominus ab Augustino & aliis Patribus damnati sunt, tanquam hæretici; quid de his nostris fieri oportere existimandum est?

XXXVIII. Primum rectè respondet Dn. D. Meyfar-
tus, non esse alios, qui ita dicant, sed esse aliam responsionem,
quam iidem proferunt: si verò quidam Theologi in prima &
secunda subsistant, non fieri propterea, quasi tertiam igno-
rent, aut sufficientem minus esse putent, sed quod sciant, vel u-
nam ad refellendos adversarios satis esse.

XXXIX. Deinde non fuit saltem unus & alter, sed be-
nè multi, qui se Papatui opposuerunt. Interdum quidè Theo-
logi nostri unius saltem, aut alterius mētionem, sed brevitatis
studio faciunt, non ex Testimoniorum defectu. Sanè Bernhar-
dus, Anselmus Episcopus Havelbergēsis, Eberhardus Archi-
Episcopus Salisburgensis, Frācisus Petrarcha Canonicus Pa-
duanus, Johannes de Clementiis Theologus Parisiensis, Johā-
nes Geslerus Keiserpergius, Johānes Hafs, Johānes Hiltenius
Isnacensis integerrimæ vitæ Monachus, Doctor Fleck, & infi-
niti alii publicè Papatui contradixerunt. Facile autem est con-
jicere, ubi tot & tanti Doctores, rectius sentientes, & Papatui
reclamantes fuerint, ibi quoq; plurimos Auditorum, quorum
confessiones, literis mandatae nō sunt, extitisse, eandemq; do-
ctrinæ puritatem cōtra Romanam Synagogā amplexos fuisse.
Ubi & facile conjicere est, præter Doctores & veritatis testes,
quorum memoria in publicis scriptis extat, & ad nos pervenit,
alios quoque plurimos fuisse, qui vel metu prohibiti scribere,

Q

mo-

monumentisq; publicis suæ doctrinæ capita comprehendere ob maxima pericula minimè ausi sint; vel etiam, si quid scripserunt, id ipsum aut temporum injuria, aut adversariorum fraude ac tyrannide periisse; quippè qui omnes libros, contra errores suos directos, diligenti studio ac labore conquirebant & exurebant.

X L. Ut autem Jesuitæ ex asse satisfiat, ablegamus ipsam ad tomos duos Martyrologii Doctoris Ludaici Rabus Theologi constatissimi: ad catalogum testium veritatis & lectiones memorabiles Wolfii J. C. qui ingentem multitudinem recenserent. Inveniet ibi, quod desiderat, nempe leget nominatos Doctores, Confessores, Nobiles, Barones, Comites, Principes, Reges, Imperatores: Monachos quoq; Sacerdotes, Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales: inveniet integra regna, integras Ecclesias, quæ per omnia secula Papatui contradixerunt. Inter quas meritò familiam ducit Græca Ecclesia, quæ ab eo tempore, quo Papa se universalem Episcopum jactavit, ipsi tota & magno zelo reclamavit. Inveniet porro ingentem Martyrū multitudinem, & inter hos Waldenses: de quibus fasciculus temporum testatur, quod uno anno à Johanne vigesimo secundo centum viginti quatuor combusti sunt: circa illos autem cōsideret, quod Lutherus noster annotavit, Deum nimirum ipsam definitivisse cætum istum, quādo per Prophetam Daniele *c. 11. v. 41.* prædixit de Antichristi manibus, inter alias gentes, salvandum quoque esse Edom, hoc est, populum illum rubeum, sive rubrum, nempe proprio sanguine, pro veritate profuso, tinctum: uti unanimes consensus omnium interpretum, etiā antiquissimorum, vaticinium hoc interpretandum esse, testatur.

X L I. Ex his facile corrunt omnia illa, quæ subjicit Jesuita. Judicet, qui iudicio non caret, an ipsi satisfactum sit. Accipiat ex abundantia hoc corollarium: Ecclesiæ in Asia, Cilicia, Armenia, Palestina, Tartaria, Persia, Insulis Orientalibus, Taurica, Chersonæso, Ægypto, Africa, Æthiopia, omnes, in quā, hæc Ecclesiæ Pōtificem Romanum pro universali Episcopo & capite nunquam agnoverunt, nunquam acceperunt, sed semper **contradixerunt.** En habes Becane, illorum nomina, quæ petis,

habes

habes locum habitationis, omnesque circumstantias, quantum satis est.

XLII. Cætera, quæ sequuntur, sunt mære nugæ. Nam Ecclesiam Christi deterioris esse conditionis, quàm fuerit Synagoga Judaica nunquã diximus: non autem propter illam rationem, quã allegat Becanus, quod sit Domina, Synagoga ancilla, idq; secundum sententiam & doctrinam Pauli ad *Gal. c. 4. v. 22.* Demonstravimus enim supra, neq; Novi Testamēti Ecclesiam vocari ab Apostolo loco allegato Dominam: neque Veteris Testamenti Synagogam ancillam; sed doctrinas illis comparari. Sic apertum mēdaciū Jesuiticum est, nos statuerē, vel (ut hic nugator, & verborum captator injuriosè loquitur) fingere, *Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam, ut duo tantum viri in ea reperti fuerint:* Contrarium diximus, & ad oculum demonstravimus, nimirum etiam durantibus & grassantibus densissimis tenebris papalibus, intra & extra papatum Ecclesiam veram fuisse longè amplissimam & numerosissimam: in servitute autem papali subindè excitasse Dominum, unum atq; alterum, & præ aliis heroico zelo animasse, & spiritu fortitudinis armasse, ut caput extollerent, Idolomania publicè contradicerent, veram Evangelii doctrinam repurgarent, sicq; electos suã doctrina, & factis heroicis juvarent, & in fide confirmarent.

XLIII. Mendacissimum quoq; mendaciū est, nos Donatistas pejores esse, minusque hinc Ecclesia tribuere, quàm illi: contrarium supra sufficienter evicimus, & oculariter ostendimus: Pontificios Donatistas, si non pejores, similes tamen omninò esse. Non est, cur actum agamus. Concludimus ergò cum Domino D. Meyfartor *Mendax est Becanus ex malitia: si verò illi, qui ex infirmitate mendacium dicunt, reprehendendi sunt, quibus titulis excipiemus malitiosum Jesuitæ os, qui effusissimè sua exonerat mendacia.*

SOLI DEO GLORIA.



Προσφώνησις
Ad Præstantissimum ac Doctissimum Dn. Responden-
tem convictorem ac favitorem jugiter
suspiciendum.

AN *Papæ cœtus sit vera Ecclesia, quæris?*

Ajo, fera est Ecclesia.

*Vera negat, stricto laudat mendacia ferro,
Persuadeat quo fortiter.*

*Sic Christus caput, atque Petrus convertere gratas,
Et pascere assolent oves.*

*Cur jam non credis quod sint Ecclesia vera
Papæ gregales, quid negas?*

F. I. mq;

Levinus Stegman Soltq.

UT quondam quisquis Judæus apella crepabat

Hic Templum Domini, noxia nulla timens:

Sic quoq; rafa cohors, en hic Ecclesia clamat,

Quâ vero & fido vindice sacra vigent.

Ast ut ibi Vates stultæ deliria turbæ

Æstro damnabat percitus ipse sacro:

Sic jam Theilogus præcellens fulmine zeli,

Errores Latii discutit hosce gregis,

Quo moderante S R E N I, tuq; hunc errare fateris,

Et dubias docto detegis ore strophas.

Quod facis, urge opus, & sacris annitere votis,

Sic errore procul grata brabæa feres.

ἀποχρῆσιν

re & tempore ita postulante facta

Bernardo Calvefio Iceropolitano March.

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

54

TERTII Confessionem

IO XXI.

nens

TICVLI VII.

clesia,

cie,

STIONE:

Pontificia Eccle-

sti Ecclesia:

ita,

nia V Vittebergensi,

SIDE

RTINI S.S. Th.

imario, Facult. Theol.

i Arcis Præposito,

DENTE

in Luccâ-Lusato.

Collegii Veteris

Sept.

ERGÆ,

AUERBACH, Acad. Typogr.

DC XXX.

